



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. IV. Vtrum Objecta materialia possint immediatè concurrere ad
cognitionem Angelicam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

pernaturallem, concurreret solus habitus, & non illud auxilium. Secunda ratio est hac: quia longè alius modus cognoscendi est, quo Angelus cognoscit objecta per immediatum concursum objectorum, quam sit modus cognoscendi per concursum specierum: nam quando cognoscit concursu modo, cognitio illa non est Angelo propria, sed est inimpedibilis, sicut voluntaria propria, aut sensatio quæ sentio calorem in me existentem, nec potest se Angelus ita ad alia objecta divertere, ut non cognoscat ea quæ sunt ipsi præsentia, sicut (in mea sententia) non potest abstinere à cognitione sui, & suarum specierum intentionalium: sicut ergo allabente sono ad aures, non possum non audire, & applicato igne non possum non sentire calorem, ita Angelus non potest non cognoscere objecta præsentia, nec ab hac cognitione potest impediri cognitione aliorum objectorum, ad quæ se Angelus liberè applicat, vtroque potius his quam illis speciebus. Itaque, ut ego existimo, Angeli potentia intellectiva est quidem limitata quoad illa objecta, quæ per species cognoscit, ut non possit simul & semel nisi certum numerum cognoscere, at verò quoad objecta præsentia, non habet potentiam limitatam ad certum numerum, quia hæc objecta necessitant.

CONTROVERSIA IV.

Utrum objecta materialia possint immediate concurrere ad cognitionem Angelicam.

881. Propendo in sententiam affirmativam ob hanc rationem. Videtur inductione universaliter constare, quod quicquid causat aliquem effectum per virtutem suam vicariam, unum ex duobus præstare possit; vel producere ipsum effectum immediatè in casu debite approximationis, vel saltem producere virtutem illam vicariam, per quam dicitur causare effectum: si enim neutrum præstandi vim habet, non intelligitur cur dicatur per suum vicarium agere: atqui objecta materialia non sunt magis improporcionata ad influendum immediatè, quam ad producendas sui species in intellectu Angeli: ergo cum non possint producere sui species quando distant, propter incapacitatem medij, debent saltem eas producere posse quando sunt approximata: atqui objectorum distantium species jam antè accepit Angelus ab Authore naturæ, ut paulo post dicemus: ergo debet habere vim concurrendi immediatè cum intellectu Angelico sibi approximato. Accedit, quod mihi videatur (ut paulo antè dixi) non esse in potestate Angeli, abstinere à cognitione eorum, quæ illi sunt præsentia.

882. Obijciunt. 1. Inter Ens materiale & spirituale tanta est improporcion, ut spirituale non possit causari à materiali. Responsio com-

munis est, distinguendo: tanquam à causa adæquata & principaliore, conceditur, tanquam à causa inadæquata, minùsque principali, negatur. Instantiæ sunt, quas nec adversarij negant. Phantasma causat unà cum intellectu cognitionem spirituales, & sensationes causant unà cum intellectu species spirituales, sui memorativas.

884. Vrgent. In Phantasmate & Sensationibus est ratio specialis, cur debeant posse tanquam causa partialis influere in actus spirituales. Imprimis enim sunt instrumenta domestica, quorum memoria cum sit necessaria, debent posse sui speciem relinquere: insuper plurimum accedunt ad naturam Entium spiritualium: habent enim pro subiecto partiali animam spirituales, quam vitaliter afficiunt, & in modo tendendi assimilantur primis apprehensionibus. Econtrario nostræ intellectus elicitæ in corpore, tametsi sint spirituales, participant tamen plurimum de imperfectionibus actuum materialium, nempe Sensationum, à quibus pendent, & cum quibus habent maximam, si non omnino indispensabilem connexionem. Propter hæc ergo confinia horum actuum cum prioribus, facilius intelligitur unius in alterum influxus, quam lapidis v.g. in cognitionem Angeli.

885. Hæc quidem cum apparentia dicuntur: ceterum nemo ignorat, per hæc confinia non extrahi illos actus à ratione Entis materialis, sicque adhuc semper enervari fundamentum desumptum ex improporcionem quæ sit de conceptu generico Entis materialis & spiritualis.

886. Secundum argumentum est P. Arrubalis. Si in objectis corporeis esset vis efficiendi cognitionem intellectivam ipsorum, potiori jure hæc vis esset in objectis supernaturalibus: Ergo nulla essent opera supernaturalia, quæ latent Angelos. Hoc argumentum nullum robur habet. Non enim sufficit ad cognoscenda intuitivè objecta supernaturalia quæ talia, quod objecta sint præsentia, alioquin possemus naturaliter videre Deum, sed requiritur insuper elevatio potentie intrinseca vel extrinseca. Non est ergo defectus ex parte objecti, sed ex parte potentie. Accedit quod plurima supernaturalia (si non penitus omnia) pertineant ad Secreta cordium, ac proinde non possint invito altero Angelo cognosci; de quo infra.

CONTROVERSIA V.

A quam causa producantur Species impressæ Angelorum.

887. Prima sententia est, Angelicas species produci ab objectis. Ita plures antiqui post Scorum. Verum hæc sententia non potest universaliter sustineri. sunt enim plura objecta, quæ Angelo nunquam fuerunt præsentia; in distans autem agere non possunt, & tamen ab Angelo cognoscuntur.

R 3

Secunda